IOHANNES DE TURRECREMATA
Süddeutscher Raum, 1477 Seite 18v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



deprecacionem meam liberando me a malis

Auribus clemencie tue percipe oracionem meam fusam
veraciter ex corde meo non in labiis dolosis sed simplicibus
non alia ore profero et alia mente retineo
Exaudi inquam qui hoc in oracione peto ut Iudicium quo
iudicatus sum a pylato et iudeis manifestetur prodisse
de noticia et voluntate tua et oculi tui videant equitatem
iudicando inter me et illos retribuendo michi premium
resurrecionis iudeis vero penam condignam sue iniqui-
tatis

Ideo sancte pater fac quod peto Quoniam probasti cor
meum utrum tibi obediens essem et utrum usque tuis ius-
sionibus ad mortem parerem et hoc per multas in me
iudeorum irrisiones et molestias et visitasti adversi-
tate tribulacionis et igne acerbissime passionis me ex-
ammasti et non est inventa in me iniquitas sed semper humilem
et obedientem et iustum me per omnia probasti
Ceterum ita iustus inventus sum et paciens Ut non
loquatur os meum opera hominum que non oportet nichilo pater
locutus sum nisi quod ad tuam gloriam pertineat ego sustinui
vias laboriosas passibilitatis et mortalitatis paupertatis
et afflicionis et passionis non pro culpa mea sed propter verba
que processerunt de labiis meis .s. prophetis complenda
Perfice gressus meos actiones meas quibus in hoc
mundo quasi quibusdam pedibus ambulamus conserva
in mandatis tuis usque in finem ubi est meritorium ac ~~primi~~ primi
tota perfecto ut imitantes me non moveantur abste
Quoniam exaudisti me alias certissime me scio exaudiendum
et ideo Ego clamavi inclina aurem mie tue michi humili
exaudi verba mea que sequuntur